

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

De *debilitate spuria,*

COMITE MORBORUM INFLAMMATORIORUM,

quam

Consensu et Auctoritate

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI

nec non

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

RITE CONSEQUENDA

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

publicae disquisitioni submittit

Fr. Nob. ab Neuhauser,

Cracoviensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die M^oji 1830.

VINDOBONAE,

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Leges enim dynamicæ organismi nostri universim obscuræ
sunt, virium autem suppressarum ratio obscurissima.

Nobilis ab Hildebrand.

Und was Natur dem Geist nicht offenbaren mag,
Das zwingst du ihr nicht ab mit Hebeln und mit Schrauben.

Goethe.

Il en est des théories comme des machines, qui commencent
toujours par être très compliquées et qu'on ne dégage
qu'avec le tems par l'observation et l'expérience des roues
parasites, qui en multiplient le frottement.

Raynal.

Parenti optimo



gratissimus filius.

L e c t o r i.

Quas publici juris facio pagellas, lege academica provocatus, conscripsi. Non scripsi litteratis; quis enim illorum tantae esset clementiae, ut inauguralem legeret dissertationem? Neque medicis scripsi practicis; hi enim praxim longam per annorum seriem exercentes, propriis imbuti observationibus, didicere, quas chartae mandavi, sententias, sed collegis meis scripsi futuris, ut propria praxi futura in campo adeo difficili, manca redintegrentur, vera comprobentur. Si enim evictum, organismum particularem et universum iisdem regi legibus, quid mirum, morbum non esse nisi vitam imperfectam, ipsam mortem alteram vitae speciem, lucem et umbram, veritatem et falsitatem sibi esse affines, facileque incidere in scyllam, qui voluit evitare charybdim. Dantur enim morbi subdoli, sub virium languentium forma incedentes, cum cha-

ractere inflammatorio latente, medicum facillime seducentes, cujus mentem symptomatum agmen perlustrantem morbi character fugit, et a via recta deflectens in aegri operatur perniciem. Non itaque ut doceam, sed ut attentos lectores reddam, cogitationes in has defigant pagellas. Quidquid de debilitate spuria in autoribus hoc de themate agentibus, quidquid in aliorum classicorum operibus, huc spectantibus inveni, in meum converti usum, felicem me praedicaturus, si bonus fuero compilator.

Multum enim operibus classicorum in arte nostra autorum me debere, benevolus facile cognoscet lector. Pertinent huc opera medica *nobilis a Raimann, Philippi C. Hartmann* (quorum virorum scientia et arte clarissimorum discipulum me nominare posse superbio) *T. Sydenham, Stollii, van Swieten, F. G. Wittmann, Gaubii*, aliorumque in litteratura adductorum.

Notio generalis debilitatis spuriae.

Organismus particularis, universi pars, ex cujus sinu materno procedens, rursusque in illum recedens vitam haurit et sustentat in statu sano et morbo iisdem definitis legibus, ac universum regitur, et pari ratione, qua in rerum natura desiderantur saltus, pari etiam ratione in normali statu et abnormi transitus observantur. Hos demonstrandi transitus, pensum sit medicinae practicae, quod ut rite elaboretur, cognitionem naturae morborum sibi exposceret; cum autem hoc perfectionis culmen vix unquam attinget ars nostra salutifera: formae morborum inhaereamus oportet, mente limitata, ipsius vitae aberrationem praesagientes. Oculo attento morbos examinans dynamicos, nec hyperstheniam et astheniam (aut ut alii volunt, virium excessum et debilitatem veram) arctis limitibus circumscriptas video, sed aliquid invenio intermedii, quod debilitatem spuriam (apparentem, fictitiam, illegitimam) aut virium suppressionem vel oppressionem dicunt, cui considerandae nunc

immorabimur. Ut rite morbi tractentur, accurata illorum requiritur notio, non phantasiae figmentis nixa, sed ex observatione et experientia deducta, quare et debilitatis spuriae idea evolvenda, et illius a vera debilitate distinctio exponenda erit, quae magnam quoad formam exhibent similitudinem facillime fallunt, et ad therapiam invitare possunt, maximum damnum aegro inferentem.

Organismum humanum considerantes sympathia et synergia donatum, tot systematibus compositum, quorum actione et reactione mutua processus emergit, quem vitam dicimus, observamus, causam proximam functionis cujusdam laesae haud semper in ipso organo adfecto quaerendam esse, sed deviationes a norma in hoc contingentes, per statum produci morbosum organi aut systematis alius, cum priore per consensum aut antagonismum in nexu dinamico existentis. Secundum hanc ideam veram debilitatem illam dico, ubi adynamiae causa in ipso haeret organo, aut systemate adfecto, spuriam, ubi adynamiae causa proxima in organo aut systemate haeret, cum secundarie adfecto in nexu dinamico existente. Dicta exemplis melius collustrantur. Sic in apoplexia nervosa, in chorea St. Viti veram dicimus adesse debilitatem in systemate nervo-

so, in scorbuto, in systemate vasorum; cum proxima morbi causa in ipsis systematibus adfectis quaerenda; sic in pleuroperipneumonia gradus altioris, in apoplexia sanguinea apparentem adesse debilitatem dicimus, cum debilitatis phoenomena, in systemate nervoso emergentes extra hoc, et quidem in systemate vasorum, morbo laborante, fontem agnoscant proximam. Minime autem omne decrementum actionis vitalis organi cujusdam, aut functionis cujusdam sufflaminatio ex statu procedit sthenico, non enim semper actionis vitalis ultra normam incrementum requiritur, ut functio quaedam vitalis labefactetur aut tollatur, quin imo persaepe vera debilitas vitalis, in uno systemate eminenter emergens, in organis, cum hoc nexum dynamicum foventibus, etiam necessario insequentem virium labefactionem producat; quare notandum et hyperstheniam et astheniam functionis cujusdam suppressionem producere posse. Sic in feбри inflammatoria imminuuntur se- et excretiones, idem vero etiam in homine observamus, animi pathemate deprimente confecto. Quibus generalibus praemissis nobis *debilitas spuria illa est debilitatis vitalis species, quae cum organi aut systematis cujusdam functione cohibita aut sufflaminata incedens causam proximam in statu morboſo (activo*

aut passivo) *alterius cujusdam organi aut systematis agnoscit, cum secundarie adfecto nexum dynamicum fovente*. Lubenter concedo secundum hanc definitionem statutam, numerum morborum, cum debilitate spuria incedentium, admodum multiplicari; attentos tamen reddet practicos, ut functione quadam imminuta aut cohibita mali quaerant fontem, an in ipso haereat organo, praevalenter adfecto an extra hoc, in alio quodam systemate, et an hujus adfectionis primariae character sit activus, an potius ad adynamiam sit relegendus, an in qualitativo a norma recessu consistat. Quare et debilitas spuria dividi posset in sthenicam et asthenicam, quatenus ex statu activo aut passivo evolvebatur; majoris vero utilitatis practicae illam censeo divisionem secundum organismi systemata, quatenus debilitas spuria vel eminenter adfecto systemate vasorum, vel nervoso, cutaneo aut musculari, in horum systematum adfectione proximam agnoscit fontem.

Omniū frequentissime certe illa occurrit debilitatis spuriae species, quae ex statu hypersthenico systematis vasorum procedit, et auctoribus debilitas (paralysis seu acinesia) sthenica (synochialis) seu sthenia cum acinesia dicitur, quae ex febre inflammatoria persaepe evolvitur, et comes est in-

flammationum topicarum, nec non morborum exanthematicorum febrilium, et cum facile cum incipiente statu adynamico confundi posset, illius

D i a g n o s t i c a

exponenda veniunt, quae partim ex morbi symptomatibus, partim ex reliquis omnis diagnoseos fontibus hauriuntur. Symptomata morbosa nobis offert febris et adfectio topica, et quae pro diversitate gradus morbi, extensionis adfectionis topicae, pro diversitate individualitatis aegri, differentia causae occasionalis, morbi effectuum varia etiam erunt. Febrim inflammatoriam ab evoluta febre adynamica omnis medicorum facile distinguet, difficilior tamen haec erit distinctio, si febris inflammatoria ad gradum altiore[m] increscit, ut ab adynamia incipiente in germine distinguatur. Quo intentior enim est morbus, eo magis statum simulat adynamicum; partim, si morbi formam consideremus, partim, si ad illa attendamus, quae ab ipso aegro accusantur, nam debilitatem spuriam designant: calor cutis, plerumque transspirantis, nonnunquam subsiccae, aequabiliter diffusus, amaene adauctus, non mordax, pulsus symptoma omnium fallacissimum, tangitur parvus, saepe irregularis, et hoc eo magis, quo altior hyperstheniae

gradus, quo magis individuum irritabile fuerit morbo adfectum, praeterea est debilis, frequens, duriusculus, nonnunquam intermittens, expansione et contractione inaequali, expansione praevalente (suppressus), venaesectione redditur liberior, fortior, major et magis aequabilis. Facies turget et rubet, nonnunquam autem pallet, collabitur, uti in inflammationibus vehementioribus, in reliquo corpore turgor observatur sanorum. Cephalaea accusatur gravativa et aurium susurrus, capite vertiginoso, oculi prominentes, obtutum exhibent vividum, nonnunquam tamen languidum, tristem; lingua est sicca, arrida, pura, aut muco brunescente obducta, respiratio est accelerata, difficilis, laboriosa, anxiosa, sublimis, halitu fervente, vox immutata vivida, alvus obstipa, aut dura, sicca, urinae flavo rubescentes, aut flammeae, sanguis e vena missus, aut sponte e vasis egressus minorem exhibet seri quantitatem, et crustam offert inflammatoriam crassam, tenacem, albam aut flavescientem, vel albo griseam, cruore compacto, observatur moliminum criticorum absentia, se- et excretionum turbae, haemorrhagiis levamen conciliantibus.

Illis symptomatibus accedunt pro casus diversitate myosis, deliria, mentis alienationes, spasmi, convulsiones, tendinum sub-

sultus, extremitatum frigus, carphologia, tremores, paralyses partiales, eclampsia, singultus, risus sardonius, lipothymiae, dentium stridor, hydrophobia, alalia, vomitus sympathicus, tetanus, somnolentia, stupor, sopor, status comatosus. Sensus de lassationis nunc major, nunc minor, pro diversitate gradus morbi aegrotantes invadit, et actiones voluntariae non nisi difficulter, magna-que virium intentione peraguntur, motus autem muscularis languor non est universalis, nonnulli enim muscoli vivaciter agunt, certis actione libera denegatis, sic extremitatibus et integro corpore languente vox est fortis. Corporis constitutionem recte indagandi multum interest; aeger enim corporis habitus tenerioris, systemate nervoso praeva-lente, saepe de virium conqueritur magna prostratione, etsi vera virium exhaustio assumi non poterit, ut eodem morbi gradu alius de tanta virium prostratione non conquere-retur. Accusant ultro aegrotantes photophobiam, scintillarum visum, sensuum perturbationem, inquietudinem, aut anxietatem, rerum oblivionem, inconsueta autem animi indifferentia nonnunquam observata; cibos spernunt, avide tamen potum frigidiusculum, aquosum, acidulum appetunt, nocte insomni, aut somniis terrificis turbata. Enumeratis apparitionibus morborum illa adhuc

accedunt symptomata, quae organi unius aut alterius inflammationi originem debent, et quae proinde pro diversitate sedis morbi diversa etiam erunt, illa tandem, quae ex praesente simul morbi compositione aut complicatione efflorescunt. Qua distinctivum ab ingruente statu nervoso notari meretur, quod in feбри nervosa corporis calor sit inaequalis inamaenus, mordax, calor is intus, extus frigoris sensus saepe accusetur, cutis sit sicca, magna tamen praesente pronitate in sudores non alleviantes, pulsus tangatur liber, sed parvus, debilis, mollis, facillime comprimendus, ultro observatur turgoris sani absentia, facie pallida collapsa, naso acuminato, oculi lacrymantes, obtutus tristis, lingua balbutiens, sitis modica, nonnunquam plane deficiens, oris cavitate sicca, aegris potulenta spirituosa avide appetentibus, vox debilis, alienata, respiratio difficilis, plerumque profunda, sed debilis, alvus diarrhoica debilitans, haemorrhagiis et diarrhoea levamen non conciliantibus, sed statum pejorem reddentibus, urinae pallidae, tenues, turbidae, crudae, sat largae; sanguis est tenuis, resolutus, vel coerulescens, cum magna quantitate seri profundius tincti, saepe turbidi, nonnunquam a statu normali non abludens, motus muscularis lan-

guor universalis, ubique impotentia et movendi difficultas.

Ex dictis itaque patet, ex *sola morbi forma* in omni casu *diagnosim* firmam *statui non posse* circa ipsius morbi characterem, et hinc difficillimam nonnunquam inter debilitatem spuriam et veram distinctionem demonstrare: apparitiones morbosas organismo animali aegrotante haud semper scalam sistere ad rite aestimandam energiam vitalem, quare aliae adhuc fontes diagnosticae praesto sint oportet, ne in aegri perniciem operetur medicus.

Huc pertinet *consideratio relationis mutuae symptomatum*, si enim apparitiones morbosae, quae nos de statu edocent virium languentium, non respondeant gradui adfectionis topicae, aut adfectio topica, ut in febribus est nervosis, gradu et extensione potius minuatur, ad debilitatem veram, non spuriam concludemus, cum e contra in morbis, cum debilitate spuria incedentibus, topica adfectio non imminuatur, sed gradu adaugeatur, aut quamvis decrescente alius organi superveniat inflammatio. Sic in cyanche faucium catarrhosa, febrili, viribus labentibus aut in pneumonia sensu pressionis in pectore decrescente, tussi rariore, respiratione liberiori, minus anxia inspirio profundo, magis concessa, symptomatibus-

que nervosis accedentibus potius ad verum statum adynamicum, quam ad debilitatem spuriam concludemus, cum in pneumonia, debilitate spuria incedente, singula haec symptomata potius incregant, aut pneumonia quamvis decrescente hepatitis evolvatur, quem casum observandi occasio mihi fuit in clinico Vindobonensi. His et addi debet, ad debilitatem spuriam nos concludere, si singulorum organorum functiones, relatae ad totam morbi faciem, in longe meliori statu observentur, e. g. tanta corporis prostratione, lingua, oculi, actiones suas vivaciter expédiant.

Porro consideranda *symptomatum perseverantia vel mutabilitas*. Considerata enim energia vitali in debilitate spuria phaenomena jam magis, jam minus activas, jam plane dejectas ac silentes reactiones manifestant, e. g. pulsus nonnunquam evanescit, alias intermittit, mox plenus et fortis, mox debilis, parvus, contractus, et quamvis in febre nervosa cum erethismo magna symptomatum variabilitas observetur, ut multiplicentur et imminuantur, decrescant et incregant, sine stabilito ordine, sine debita proportione, tamen activas has vitae reactiones cum virium languore alternantes, in hoc morbo non observamus, et experientia teste ex cephalaea constante, agrypnia somniis vividis

sine intermissione, quae cum decrescente intensitate symptomatum febrilium, excepto cutis calore, in opposita sunt proportione, merito characterem nervosum secundarium timendum habemus.

Multum etiam contribuit ad diagnosim consideratio *decursus morbi*. Si enim vires repente labantur, quin evacuationes generosae, incongrua medicaminum subministratio, decursus morbi longior, defectus convenientium stimulorum, praegressa sint, aut praecedentibus etiam harum potentiarum aliquibus debilitantibus, praesenti virium lapsui non respondeant, ad debilitatem spuriam merito concluditur.

Sic omnes, qui febrium nervosarum noscunt decursum, scient, virium decrementum gradu augeri ea ratione, qua morbus adolescit, praecedente cutis siccitate, pulsu debiliore, molliore et minore, obtutu languente; tandem insequi subsultus tendinum, tremores, deliria, aliaque symptomata nervosa, quae pedetentim nonnisi numero, gradu et extensione multiplicantur, cum in morbis inflammatoriis, debilitate spuria stipatis, repentinus sit virium lapsus et symptomatum nervosorum ingressus. Porro notandum, in febre nervosa symptomata non concordare nec inter se, nec cum causa, decursum morbi esse inordinatum, exacerbata

tiones et remissiones esse irregulares, incompletas, variables, typum mox remittentem, mox apparenter intermittentem, dein iterum continuum, cum in febris inflammatoria observetur certus ordo typi, et regularitas symptomatum, quae omnia inter se in determinata existunt relatione. Morborum etiam exanthematicorum, febrilium characteristicam quaedam proferre licebit, ut diagnosi pateat.

In scarlatina enim inflammatoria cynanche faucium gradu minore perstante, deficiente, vel mox disparente, exanthemate tardius, aut imperfecte evoluto, pallescente, hinc inde disparente, inflammationes evolvuntur organorum nobilium, meningum, pulmonum etc. Charactere nervoso evoluto exanthema pallescit pro parte vel integrum, ante tempus disparet, aut rursus in cute efflorescit, cum in scarlatina putrida color laete ruber, in purpureum caerulescentem mutatur. In morbillis cum vehementi febris inflammatoria accedit inflammatio organorum respirationis, maculae coloris rubeo-scentis multum supra cutem eminent, haemorrhagiae levamen conciliant, morbillis, cum characterem nervosum decurrentibus eruptio est irregularis, die secunda, quarta, aut quinta contingit, exanthema pallescit, minus elevatur, facile retrocedit, milliariis

erumpentibus, dum in morbillis putridis color profundius rubescens in caerulescentem vergit. In variolis, cum feбри valida inflammatoria evolvitur inflammatio organorum respirationis, meningum, etc., eruptio ante quartam vel post sextam diem contingit, feбри non decrescente, suppuratione, cutis inflammatione impedita, feбри suppuratoria valida, facileque circa quintam et septimam diem accedunt metastases. Variolae nervosae irregulariter erumpunt, facile recedunt, et humore lymphatico sunt repletae, putridarum eruptio itidem irregularis, pallent, aut coloris sunt caerulescentis, et ante suppurationis stadium sanguine vel ichore caerulescente replentur.

Quod morbi attinet *durationem*, notandum, rarissime morbos cum caractere verae debilitatis inchoare; hinc virium status in morbi stadio primo aut est excedens, sufficiens, aut debilitatem mentitur spuriam, si manifestae circumstantiae contrarium non indicant, uti haemorrhagia praecipua, alvi evacuationes excedentes, virium exhaustio praecedens, et contagiorum nonnullorum in organismum actio. Quo autem tempore inflammationes, caractere febris activo incidentes, hunc deponentes, in adynamicum characterem transeant, non potest cum certitudine determinari, de regula tamen vi-

rium exhaustio magis post tempus stadii criseos quod exspectatur, quam ante illud, timendum.

Consideranda aequae est *causa morbi* praesentis et conferenda cum aegri dispositione, utrum nimirum in individuo determinatae cujusdam ad morbos certos dispositionis, causa, quae ab aegro accusatur, aut per anamnesim a medico eruitur, illius sit intensitatis et qualitatis, ut tanti gradus et illius formae morbum producere potuerit, ut merito debilitatis spuriae phaenomena eidem adscribi possint.

Uti in omnibus morbis, ita et hic *exjuvantibus et nocentibus* potissima conclusio. Cibi enim, potulenta et medicamina calefacientia, roborantia, stimulantia in debilitate spuria symptomatum vehementiam exaltant, evacuationes artificiales vel spontaneae, sanguinis aut alvinae, remedia antiphlogistica solventia, refrigerantia, levamen ferunt, cum in debilitate vera antiphlogistica et evacuantia, malum adaugeant, roborantia et stimulantia optime ferantur, et levamen aegris concilient.

Consideratio aequae *constitutionis corporeae* suis non destituitur adminiculis. Homines enim constitutionis corporeae fortis, systemate vasorum sanguiferorum praevalente, plethorici, bene pasti, fibra musculari

tensa, elastica, aliam offerunt in morbos dispositionem, quam individua constitutione nervosa notata, ex retenta nervosi systematis evolutione, nervis tenerioribus, imbecilibus, multum sensilibus, stimulorum impatientia, animi mobilitate, in adfectus deprimentes pronitate distincti. Individua enim constitutionis hujus, quibus et habitu phthisico notati, individua hypochondriaca et hysterica adnumeranda sunt, majorem ac alia in febres nervosas offerunt dispositionem. Cautè tamen medicum procedere debere, in aestimanda corporis constitutione, constitutio probat irritabilis, quae sub habitu corporis minus evoluto, sub statu valetudinario, cutis pallore, reproductione simulate languente, saepius latet, debilitatemque simulat, quae habitui quidem respondet, erronee tamen in reproductione languente quaeritur.

Sexus etiam aetatis, temperamenti, vivendi rationis, et morborum praegressorum ratio consideranda. Viri enim, et aetatis mediae homines, temperamenti sanguinei aut cholericici, qui vitam degunt laboriosam, in aëre libero, puro, frigido, aut temperatura illius nimis intensa, repentinis temperaturae vicissitudinibus obnoxio, qui nutrimentis utuntur largiter nutrientibus, quae copia majori ingeruntur, potulentis

spirituosis aromaticis, pharmacis stimulantibus, motum corporis exercent vehementem, animi motibus exaltantibus concutuntur, majorem exhibent in morbos inflammatorios, debilitate spuria incedentes, pronitatem; cum feminae, infantes, et senes; individua temperamenti melancholici, educationis mollitie, vita sedentaria otiosa, aut intentione virium corporearum et psychicarum constante, somno nimis diu protracto, victu tenui, defectu aëris puri vel humido et frigido, veneris abusu, animi motibus deprimentibus, praecipue tristitia, timore, moerore, amore infelici, nostalgia, lucubrationibus, remediorum stimulantium, debilitantium, narcoticorum abusu exhausti, in morbos offerant majorem pronitatem, debilitate vera incedentes. Morbos quod attinet praegressos, alia certe nascitur ad determinatum morbi characterem dispositio, si haemorrhagiae suppressio aut fluxus menstrualis emansio praegressa fuerit, quam praecedente systematis nervosi adfectione, cachexia quadam, digestionis prostratione, sanguinis jactura, venaesectione praeter necessitatem instituta, aut haemorrhagia inducta, aut praegressa aliorum humorum jactura, diarrhoea, sudore, ptialismo, gonorrhoea, blennorrhoea, vomitu.

Quod *tempus anni* concernit, evictum,

hyeme et vere, flante vento ab oriente et septentrione, qui per montes, nive et glacie perpetua tectos, aut per campos et prata laete virentia, transvehitur, morborum characterem dominari inflammatorium, dum aestas morbis gastricis, biliosis, putridis, autumnus adfectionibus rheumatico-catarrhosis et febribus intermittentibus, zephyrus et auster febribus faveat, characterem adynamico incedentibus.

Ultimo et *constitutionis epidemicae et endemicae* notatu dignissima enumeranda, cum morborum non tantum formam et typum, sed et characterem determinant, quare *Hippocrates*: Oportet exacte perdiscere unamquamque constitutionem et ipsum morbum, et *Stollus*: Cognitio morbi epidemici est dux et acus nautica in assequendis innumeris aliis adfectionibus morborum correngantibus.

Februm stationariarum hucusque ignoratur indoles, numerus, extensio, periodus, id solum constat per observationes *Stollii et Sydenhami*, febrim stationariam omnibus omnino febribus, et febrilibus morbis, seu sint ab annua mutatione, seu a causa quadam singulari productae dominari, eosque in suam potestatem redigere, licet eadem stationaria diversis anni partibus diversa annua, diversimode alteretur. Etsi evictum,

variabilem constitutionis epidemicae indolem partim ex relationibus cosmicis et humanis, partim ex legibus, quibus morborum decursus subicitur, explicandam esse, tamen *Sydenhamus* animadvertit, annos quoad manifestam aëris temperiem sibi plane consentientes, dispari admodum morborum agmine infestari, hinc aliam quoque dari atque hucusque incognitam causam febrium popularium, quare et celeb. *L. B. van Swieten* minime mirabatur, se *Sydenhamo* non fuisse feliciorum, dum per decem annos continuos, ter de die altitudinem barometri, thermometri, directionem et vim ventorum, copiam pluviae cadentis, anni tempestatem variam, morbos, aegrotantium numerum, uti et mortuorum sollicitè notasset. Quamvis autem ignoremus, quales sint illae mutationes, quae ex mutatis terrae relationibus ad universum et systema solare procedant, tamen compertum habemus, lucis influxu vitam systematis nervosi ad altiorem potentiae gradum extolli, vim illius justo majorem ad morbos hypersthenicos dispositionem inducere posse, lucis detractionem vitae sensiferae et irritabilis, restorationis corporis languorem, et cachexias producere. Electricitatis vi excedente ad inflammationes dispositionem oriri, illa subtracta nervorum, musculorum, et systematis plastici induci

languorem, calorem externum, mediam temperaturam superantem, vitam incitare, nimium aestum torporem inducere, loca et anni tempora calidiora, febribus putridis et morbis, ex hepatis et canalis alimentaris functionibus laesis, adeo favere, et diathesim gastrico-biliosam sidere ardente adeo solennem esse, frigus ab initio roborare et incitare, intensius diutius adficiens, debilitatem inducere, imo deleterium in vitam effectum exserere, organis respirationis applicatum catarrhos, et inflammationes producere, cuti applicatum secretionum serosarum augmentum, ad inflammationes catarrhosas et rheumaticas proclivitatem inducere. Aërem libero et latente electrico, caloris gradu, pressione, in valetudinem humanam effectum exserere, majorem oxygenii in aëre vim diathesim inflammatoriam inducere, hac decrecente in morbos adynamicos vitam niti, febres intermittentes rebelles, malignas, viscerum obstructions, rheumatalgiam chronicam, arthritidem, scorbutum, aliasque cachexias in terris paludosis, morborum endemicorum more dominari, anni tempus et clima humidum morborum omnium, ex vitae languore et praevalente aëris in illam imperio profluentium fontem uberrimum aperire, humidum aestuantem morbos producere pessimos, pestilenciales, aëris e contra sic-

citatem, ultra tamen quam par est, adau-
ctam, ad morbos hypersthenicos, inflamma-
torios, disponere.

Genius vero stationarius determinatur
ex similitudine formae morbi cum alio mor-
bo noto, ex observatione phaenomenorum
spontaneorum, quae mortem, salutem, me-
liorem, pejorem statum morbi praecedunt,
comitantur, sequuntur. His enim cognitis,
medicus omne artis molimen adhibebit, ut
certa praecaveat symptomata, vel jam nata
emendet: si autem talia adpareant sympto-
mata, quae salutem vel meliorem morbi sta-
tum praesagiunt, spectatorem aget, nec ul-
lis validis remediis turbabit, naturae mor-
bos sanantis molimina salutaria. Determina-
tur ultro ex juvantibus et nocentibus forte
adhibitis, ex comparatione plurium eodem
tempore simul decumbentium, ex spontanea
morbi, sibi relictis solutione, solius naturae
viribus peracta, ejusdemque eventu vario
spontaneo, abstinendo ab omni auxilio, quod
dubium, valde movens, mutans, tectum
morbi genium obscurans. Constitutione sta-
tionaria, inflammatoria, ab anno 1811, ad
nostra usque tempora dominante, infracta
Ch. L. Hoffmanni methodo antiseptica et
Brunonis irritante inflammatoria regnans
constitutio a medicis hodiernis potissimum
sectatur, quae se manifestat per receptivi-

tatem et reactionem totius organismi vividio-rem et fortio-rem, ultra normam intensam, erga stimulos consuetos praecipue morbosos, vitae temperaturam activam, exaltatam systematis nervosi et vasorum actionem, energiam vis organico-plasticae, topicos et universales morbos inflammatorios. Constitutionis stationariae prima germina, ingressum, influxum in morborum characterem, rite et debito tempore cognoscendi nec necesse est, ut Celeberrimus docet *Jos. Wittmann* *) magnas expectare epidemias, ut errore veritatem cognoscamus, sed assuefiant practici abnormitates notare, gradus minoris in consuetis vitae apparitionibus, in tota populi massa, considerata simul differentia aetatis, sexus, temperamenti, vivendi rationis, consuetudinum, morborum et dispositionis morbosae, quae adhuc diagnosis confirmatur effectu medicamentorum a regula declinante, mutatione characteris morborum consuetorum, decursu et exitu chronicorum, ratione intercurrentium.

Annuam quod attinet *constitutionem*, secundum *Stoll* inflammatoria adultae hyemi et veri primo, biliosa aestati vigenti atque inchoanti autumnu, pituitosa istius fini et initio hyemis item veri in aestatem vergenti

*) *F. J. Wittmann*. Die stationäre Krankheits-Constitution.

respondet. Intermittens in ver atque autumnum cadit, quibus adhuc rheumatico-cattarrhosa autumnum et veris adnumerari posset, a qua tamen regula multae dantur exceptiones; multis enim annis veris morbi inflammatorii et aestatis biliosi emanent, imo alio adparent anni tempore, unica imo constitutione, per plures annos dominante. Haec constitutio nec endemica, nec stationaria tollitur, sed cum illis complicatur, morbi etiam intercurrentes, annua periodice suspenduntur; sic nonnullis in locis variolae, morbilli, scarlatina, pertussis, integra grassantur aestate, hyeme silent, et aestate redeunte iterum infestant. Verni maturius nonnunquam, nempe mense Januario incipiunt, circa solstitium aestivum evanescent; alii vero orti, statum acquirunt circa aequinoctium autumnale, frigore hyemali in fugam vertuntur, qui vero morbus circa aequinoctium autumnale maximopere furit, et accumulatissimam edit stragem, totius anni constitutioni nomen impertit suum; quisquis enim fuerit morborum testante *Sydenhamo*, qui ea tempestate pro ceteris invaluerit, principatum omnium, qui isto anno invadunt, obtinet, variolarum et dysenteriae exemplo.

Constitutionem quod attinet intercurrentem, summi est momenti practici illam nosse, non adeo propter morbi formam, quam

propter characteris diversitatem, quo insignitur, ut et alios morbos suo subjiciat dominio, et constitutione annua complice-
 tur. Persaepe enim inflammatoria, quae responderet anni temporis constitutio, intercurrente adynamica eatenus modificatur, ut morbi characterem quamvis inflammatorio, ab initio incedentes hunc mox deponentes aut sanguinis evacuationibus largioribus, ac par esset, tractati, in characterem vertantur adynamicum. Cum nec *Sydenhamianis*, nec *Stollii* observatis (fors defectu longiorem per annorum seriem protractarum observationum) innotuerit certus constitutionis stationariae circulus, quo alteram alia excipiat; an vero omnes nullo servato ordine mortales infestent: multo adhuc minus expectandum, medicorum observationibus certum patere ordinem, in successione constitutionis intercurrentis, quae per tempestatum vicissitudinem admodum variabilem determinatur. Et cum nec barometro aut thermometro, hygrometro, electrometro aut eudiometro illud incognitum in aëre detegemus agens, tantarum diversitatum causam, unice restat medicorum observatio ad aegrorum lectos in tanto rerum discrimine ad constitutionis intercurrentis genium rite determinandum, quare eodem modo ac nova ingruente constitutione stationaria, campus

erit latissimus methodi exspectantis prudenter sectatae, et plus certe medicis in nosocomiis majoribus proxim exercentibus ac aliis fidendum erit, partim ob individuorum decumbentium numerum majorem, differentiam, quoad aetatem, sexum, conditionem etc. partim, cum major hominum pars, qui in nosocomiis tractantur, se tempestatis vicissitudini non subducant, simplicio rem et magis conformem ducant vivendi rationem.

Insuper notandum, epidemicos morbos saepius constante ordine quadam die critica, morbos intercurrentes eadem via ac epidemicos judicari, hos saepe latere sub larva aliorum pestis exemplo, quae sub pleuritidis, catarrhi, anginae specie occultatur, alios esse contagiosos, alios non, contagiosos autem, epidemicos fieri posse, dari epidemicos anomalos, qui nulli se patiuntur typo adstringi, incertamque symptomatum exhibent varietatem, *si autem fortes et debiles sine discrimine epidemia regnante statim ab initio morbi, virium languore invadantur, hunc statum consuetim esse debilitatem spuriam.*

Constitutio endemica, omnium constantissima non temporum vicissitudine, sed loco determinatur; quare non mutatur, nisi climate mutato, et relationibus localibus. Manifestatur morbis hominum certae cujusdam

conditionis, aut illorum, qui immediato influxui illius maxime sunt expositi, quod morbi docent pastorum et agricolarum, loca paludosa inhabitantium, si cum illis conferantur, qui homines infestent, montes inhabitantes, aut si piscatorum et nauticorum, littora maris inhabitantium morbi cum illis, qui in metallorum fodinis vitam degunt. Quare omnis constitutio endemica, vitae et illius substrato characteristicam obtrudit faciem, et determinatam evolvit dispositionem ad certam morbi formam, febrium intermittentium, pneumoniarum, taeniae, calculi vesicae urinariae, strumae, cretinismi indurationum hepatis et lienis, et hydropis effectivi exemplo. Haec constitutio cum epidemica et morbis intercurrentibus complicatur, quare alius typus altis in montibus, alius vallibus in profundis, quare certis in locis simplicissimae rheumaticae et gastricae febres, nervosum induunt characterem, variolae dum comparent, confluentes et malignae observentur, morbilli fere in genere cum angina polyposa et tracheitide, scarlatina, cum hydrope terminatur, etsi evictum, etiam constitutionem stationariam endemicam, infringere posse; constitutione autem endemica in oppositione cum annua topicum morborum characterem moderari, aut penitus tolli, febres evincunt endemicae regio-

num paludosarum, hyeme et vere silentes, aestate et autumno nova vi redeuntes.

Fontibus diagnosticis expositis illae considerandae veniunt morborum inflammatorum *complicationes*, quae in se spectatae frequentes sistunt debilitatis spuriae causas, ut rite determinetur, an morbo inflammatorio qua tali, an non potius praesenti complicationi debilitas spuria sit adscribenda. Iluc pertinet:

Plethora vera, tanta nimirum sanguinis copia, ut vasorum vires non sufficiant, eidem circulandae. Plethorici signa characteristicum sunt: Ille est piger, somnolentus, praesertim post pastum, vertiginis invasione saepius lacessitus, motu, etiam leviori fatigandus, difficilius respirat, imo extra motum quadam thoracis oppressionem angitur, ad haemorrhagias (cum levamine molestiarum contingentes) proclivis, et proprio incitamento facile subjacet feбри qua dum corripitur, calore febrili, humoribus rarefactis, verae plethorae spuria associata, vasa magis expandendo, nervos premendo, vires magis obruens, sensilitatem laedens, offert totius corporis magnam lassitudinem, obnubilationem, animi deliquia, convulsiones, pervigilia, soporem, stuporem, sudores, anxietatem magnam, et inde pusillanimitatem, quam cum pulsu suppresso initio

morborum acutorum in plethoricis observavit *Huxham*.

Plethora spuria, quae solitam sanguinis quantitatem, sed adeo rarefactam supponit, ut ejusdem expansio vasorum vires motrices impediat, debitum circulationis cursum inhibeat, communiaque quaedam cum plethora vera symptomata producat, uti sunt: Venarum intumescentiam pulsum magnum, calorem magis urentem, quam in vera plethora observatur, oculorum, faciei, turgorem, ruborem, sitim, inquietudinem, sensuum languorem, et diversas organorum, in quibus praevalet, functionum laesiones. Cum vero huic plethorae speciei longe alia hominum constitutio (quae medendi rationi plurimam lucem tribuit) quam verae subjecta sit; dispositionem et causas excitantes, e quibus firmior diagnosi concipiatur, indicare prodest. Subjecta constitutionis tenerioris, hypochondriaca, hysterica, generatim, quibus erethismus, accedente levi spasmo, fatigatione, animi pathemate, huic sanguinis abnormitati facile subjiciuntur, omnia illorum vasa turgere conspiciuntur; a pastu praesertim, si observantur, digestionem difficilius procedente, venae illis in manibus intumescere deteguntur, facie rubente, sensu caloris molesti, et pigritia gravantur, pul-

sus celer, saepe durior, quam in vera plethora tangitur.

Inducitur humorum rarefactio, aestu aëris, balnei, lecti, cibis, potu, medicaminibus calefacientibus, venenis narcoticis, animi pathematibus excitantibus, motu, frictione, magna et repentina imminutione pressionis atmosphaerae etc. Confirmatur diagnosis, testante *Gaubio*, si post haemorrhagias vel evacuationes notabiles praegressas humorum heterogeneorum resorptione, si ante morbi alicujus finem, vel in reconvalescentia plethorae signa manifestantur. Diversa etiam *heterogenea* aut *morbosa* in organismo ut calculi, abscessus, tubercula, foeces accumulatae, et alia, quaecumque irritando agunt, gignunt et sustinent plethoram localem et debilitatem spuriam. Spectant huc porro collectiones purulentae, mucosae, serosae, aquosae, quarum excretio impeditur, aut evacuatio negligitur. *Primarum viarum* aut nimia *repletio* alimentis, potulentis, aut adfectio gastrica, a nutrimentis, qualitate peccantibus, mucis, vermibus, bile. Sic bilis acrior, copia majore in duodenum effusa, anxietatem, pulsuum lapsu, animi deliquia, deliria, extremitatum frigus, respirationem difficilem, virium prostrationem producit; sic vermes intestinales, causant dentium stridorem, cardiopal-

mum, vertiginem, aurium susurrum, spasmos, convulsiones, epilepsiam, tetanum, aliaque symptomata nervosa; quin praeter eundem, *perturbationem criticam* saepius producere languorem, pulsus debilissimos, sensuum obnubilationem, soporem. *Narcotica* nonnulla debilitatis spuriae modo effectivo, quatenus humorum producunt orgasmum, causam sistunt, qua virtute reliquis antecellit opium, dosi enim refracta modo indirecto exstimulat, tota, sensibilitatem exhaustit.

Pertinet huc porro *miasma typhosum* et *pestilentielle*, quatenus orgasmum producat, quatenus omnes morbi hinc exorti, stadium primum habeant inflammatorium, anginis et peripneumoniis incedant frequentioribus, quare *Sydenham*, *Rivieri*, *Botallus*, *Marescotti*, regnante peste aegros cum vel absque carbunculis maxime prostratos generosis venaesectionibus salvarunt. Idem possunt *animi adfectus*, gaudium enim consensualem producere irritationem systematis vasorum, congestiones ad caput, improvisum et magnum, convulsiones, non raro asphixiam; iram, tremores, lipothymiam, convulsiones, paresim, paralytim, saepius apoplexiam; tristitiam, respirationem difficilem et anxiam, circuitus languorem, pulsum debilem, parvum et inordinatum, cutis

pallorem et frigus, quae omnia totidem sistunt debilitatis spuriae species, medicorum experientia comprobatum. *Spasmi* denique, quatenus plethoram localem producant, frequentem debilitatis spuriae causam, *sanguinis circulus liber impeditus*, fasciis corpus stringentibus, aëre non respirabili, graviditate, etc. *dolores vehementes*, ad debilitatem spuriam producendam, sufficientia sistunt momenta aetiologica.

P a t h o g e n i a m

expositurus debilitatis spuriae, qua comitis morborum inflammatoriorum, aliquorum autorum sententias enumerare juvabit. *Brunonis* asseclae illam negarunt, in aegri perniciem debilitatem spuriam stimulantibus tractantes. *Hufeland* *) hunc statum appellat debilitatem a vi suppressa, cujus causa non in organo ipso, neque in necessariis ad vitae manifestationem conditionibus, uti stimulo incitabilitate, organisatione, sed in obstaculo, quod extra vim reactioni in se possibili opposito, vim supprimit. *J. Sarnowicz* virium inquit suppressio est impotentia, statui normali congrue rea-

*) Hufeland von der Asthenie.

gendi, illaesa earum quantitate ob aliquod praesens momentum, positivum vincens. Sub momento illo positivo reactionem intelligit adauctam, concedens viribus facultatem energiae majoris exserendae. *Sprengel* ait: Imminuta activitas vis vitalis non semper supponit veram ejusdem exhaustionem, aut defectum intensivi vigoris virium, causa enim saepe copiae impedimentorum adscribenda, quae contentioni virium vitalium renituntur, eandemque supprimunt. Haec suppressio vis vitalis promovetur spasmis et convulsionibus, quae liberam activitatem impediunt, vasa et organorum excernentium ductus arctant, et partium mobilitatem difficiliorem reddunt, quare etiam in hypochondriacis et hystericis individuis talia apparent symptomata, quae virium suppressioni originem debent, nonnunquam tamen plenariam virium exhaustionem simulant. Celeberrimus *Bischoff*, debilitas, inquit, spuria ille est virium status, in quo hae sufficiente quidem quantitate et intensitate praesto sunt, ob praesens tamen aliquod impedimentum debite se manifestare non possunt, ut functionum servetur harmonia. *Schmalz* asserit, non deficere potestatem reagendi, manifestationem tantum vis esse impeditam, sufflaminatam, suppressam, vi tamen non exhausta, quoad activitatem tantum extensi-

ve, non intensive imminutam. *Nobilis ab Hildenbrand* vires suppressas aut obrutas illas dicit, quae utut minime deficientes ita tamen in libertate ad praestandas functiones organicas sunt impeditae, ut nec ad sanitatem requisitas, nec pro operatione critica in febribus necessarias reactiones peragere valeant, et credit, praevalente nimis vi expansiva in fluidis supprimi vim contractivam partium solidarum, atque vice versa, et hoc modo in febribus laedi frequentissime motus vitales.

Qua autem ratione in morbis inflammatoriis, activitate vitali in systemate vasorum excedente, in reliquis systematibus languoris, aut debilitatis emergant symptomata, et qua ratione comprehensibili fluida vim solidarum partium opprimant, his non edocemur, et magna certe manet quaestio, an vera detur virium suppressio (*Unterdrückung*), an status potius virium nonnullis in casibus non sit mixtus, cujus existentiam inflammationes topicae cum feбри adynamica incedentes, luculenter evincunt, ut activitate topice excedente, integri systematis nervosi vitalitas sit prostrata, si enim virium suppressionem impugnare vellem, dicerem, vires sibi occurrentes aut homogeneas esse, aut heterogeneas, si primum, actionem intendunt, si ultimum, vel pares, vel non, si primum, se

mutuo elidunt, si ultimum, praevalens principatum obtinet.

Ut tamen in tanta rerum caligine, lucis adfulgeat radius: experientiae nitar consilio et auctoritate, quae docet, quod ex conflictu inter validam facultatem motricem, et stimulos justo fortiores, procedat incitationis hypersthenia, quam in morbis inflammatoriis concitato humorum circulo, sanguine calore expanso, in statum phlogisticum constituto, actione et reactione inter vasa et nervos adaucta, merito assumere possumus, musculis ad gradum altiorem irritabilibus, stimulis justo fortioribus. Nemo autem medicorum, quin graviter sibi contradicat, ex incitationis hypersthenia in morbis inflammatoriis debilitatis spuriae symptomata in omni casu explicare poterit; in nonnullorum enim organorum inflammationibus pulsus tangitur parvus, debilis, intermittens, quia liber sanguinis circuitus impeditus, et systema aorticum minore inundatur sanguinis copia, pneumoniarum exemplo, in quo itaque casu vere imminuta actio inter vasa et nervos, causam sistit languoris, in systemate nervoso emergentis, quin praetereundum multum etiam hic contribuere oppositionem dynamicam, inter nervos et vasa obtinentem, ut activitate vitali, in systemate vasorum excedente, systematis nervosi functio deprimatur.

tur, et coacervata quasi tota organismi vitalitate in organo inflammato systematis nervosi functio antagonisticè imminuatur. Ipsa denique therapia hanc meam ideam comprobabat; copia enim sanguinis venaesectione imminuta, temperato nimium vasorum fervore methodo antiphlogistica, imminuitur excedens inter vasa et nervos actio et reactio, expeditur sanguinis circulus, et redditur liberior, restituitur inter systema nervosum et vasorum harmonia.

Prognosis.

Generalibus uti prognosis in omni morbo regitur regulis, et specialibus, quae morbo respondent, qui devincendus. Ut autem essentialia paucis comprehendam, scitu dignum, debilitate spuria, morbis inflammatoriis accedente, crises tardari et turbari, morbi decursum reddi diuturniorem, anomalum, medicaminum actionem impediri, in sanitatem autem exitum esse sperandum, si debilitatis spuriae causam proximam, ipsum nimirum morbum inflammatorium devincere contigerit, artis conatibus salutiferis, et si nulla adfuerit complicatio, ut abscessus in corporis interioribus situs non sanandus, hydrops aut calculus non amovendus; in debilitatem directam timendum esse transitum, excessu methodi debilitantis, aut

in indirectam stimulantium abusu; vel morte finitur morbus, causa debilitatis spuriae non remota, vel debilitate vera, directa vel indirecta, ad eum gradum incresecente, ut nullis amplius stimulis reactio vitalis produci possit.

T h e r a p i a m

quod attinet, indicatione prima jubente, causam debilitatis spuriae amovendi, morbum debellandum habebit medicus inflammatorium, cujus causam, formam, gradum, compositionem, aut complicationem rite aestimaturus, considerata simul aegri individualitate, morbum primum, illius causam et debilitatem spuriam modo secundo inductam methodo infringet antiphlogistica, secundum pathologiae specialis leges. Statum quod concernit nervosum symptomaticum, illae sunt leges observandae, quibus nevroses in genere curantur, oppositis qualitate stimulis, si fieri potest, nervos feriendo. In casu autem ancipiti, diagnosi dubia, (nisi symptomata urgeant) maxime commendanda est methodus expectativa formae et complicationi morbi accommodata, ne praepostere adhibita methodo generosiore, malum potius exacerbemus, quam mitigemus, sed expectantes, exacerbationem febrilem, febrisque characterem magis

evoluto, debita therapia instituta adgredi posset morbus et infringi.

Complicationes quod attinet, supra expositas, ratione tractandae, quae naturae morbi inflammatorii non repugnant, hinc, ubi plethora vera adest, venaesectio maximum erit remedium, quam depletionem ipsa plethora spuria et humorum orgasmus sub refrigerantium usu petunt, quin timendum, venaesectione vires dejici, nisi diu jam perstante debilitate spuria. Heterogenea eliminanda, sic abscessus aperiendi, foeces evacuandae, humores collecti, ut aqua, emittendi, sordes ventriculi aut intestinorum pro casus diversitate nunc methodo solvente, nunc evacuante sursum aut deorsum eliminandae, crises promovendae. Narcoticorum vis stupefaciens infringenda, et, cum emetica parum, aut plane non agant, potus arabici et camphorae usus contraindicetur, ad opii vim narcoticam infringendam, acida vegetabilia, succus citri, vel acetum adhibenda, institutis simul perfusionibus frigidis, ad congestiones imminuendas, ventriculus aqua tepida impletus, syphonis ope evacuandus; multum etiam ammonia pura liquida a guttis quinque ad quindecim, aqua multa dilutis, aliquoties exhibitis a *Buchner* *), commendatur. Contra miasma ty-

*) *Buchner's Toxicologie*. Nürnberg, 1827. S. 206.

phosum emeticum adeo efficax, si non contraindicatur, ut, si illius actionem non elidat, sub stadio infectionis, totum saltem morbi decursum leviozem efficiat. Animi adfectus vitandi, pro effectus diversitate variam exposcunt opem. Spasmi pro originis diversitate amovendi, morbo et constitutioni individuali modo conveniente, nervina autem stimulantia, antispastica spirituosa hic vitentur, sed locus erit emollientibus, paccantibus, narcoticis, circulum non concitantibus, ut aquae laurocerasi, quadrat etiam humidulus, aequabilis, partium fatus, phar-maca relaxando aparentia, adhibita simul methodo antagonistica, revellentibus, rube-facientibus in usum tractis. Mechanica repagula amovenda, stricturae, strangulationes, pressiones solvendae, doloribus optime methodo antiphlogistica consopitis, si originis fuerint inflammatoriae.

L i t t e r a t u r a ,

- J. Nep. Edler von Raimann*, Anweisung zur Ausübung der Heilkunst. Wien, 1815. S. 52.
- Ig. Rud. Bischoff*, Grundsätze zur Erkenntniss und Behandlung der Fieber und Entzündungen. Wien, 1830. S. 116.
- Val. Nobilis ab Hildenbrand*, institutiones practico - medicae. Viennae, 1816. p. 181.
- — Ratio medendi, pars I. p. 237.
- J. Sarnowicz*, dissert. de debilitate in morbis spuria, ex viribus suppressis oriunda. Viennae, 1811.
- Hurt. Sprengel's* Handbuch der Pathologie. Leipzig, 1795. I. T. S. 138.
- S. Gottlieb Vogels*, Kranken-Examen. Wien, 1797. S. 161.
- — Allgemeine medizinisch-diagnostische Untersuchungen zur Erweiterung und Vervollkommnung seines Kranken-Examens. I. Th. Stendal, 1824. S. 186.
- C. G. Schmalz*, Versuch einer medizinisch-chirurgischen Diagnostik. Dresden, 1816. S. 12.
-

Theses defendendae.

I.

Theoria medica praxi medicae famulari, non dominari debet.

II.

Scimus in arte medica, quod videmus, credimus, quod mente assequimur.

III.

Nullum datur in natura agens sine substrato materiali.

IV.

Electricum potentissimum in organismo animali agens.

V.

Ratio sanguinis reflexus ad centrale circulationis organon nondum patet.

VI.

Anima in operationibus suis energia et conformatione cerebri determinatur.

VII.

Vermium intestinalium genesis metamorphosi regressivae originem debet.

VIII.

Artis medicae progressus cum incremente medicorum numero in ratione inversa.

IX.

Omne systema medicum aliquid veri continet.

X.

Aquae minerales artificiales naturalibus non sunt equiparandae, nec contentis, nec virtute.

XI.

Omnis methodus stimulans symptomatica.

XII.

Homoeopathia optime evincit dari vim naturae medicatricem.

XIII.

Inter praxim privatam et nosocomialem magna differentia.

XIV.

Datur status virium mixtus.

XV.

Debilitas spuria, morborum inflammatoriorum comes, ex sola forma non eruitur.

XVI.

Haec debilitatis spuriae species, nunc incitationis hypersthenia, nunc statu virium mixto producitur.

XVII.

Qui obtutui fident practico, debilitate spuria facillime seducuntur.

XVIII.

Diagnosi dubia spectatorem agas.

XIX.

Virtus specifica corticis Peruviani limitanda.

XX.

Symptomata gastrica saepe saepius fallacem subministrant indicationem.

XXI.

Plus vidisse, quam legisse, plus prodest, quam contra.



